



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Petri Ioannis Perpiniani Valentini, Societatis Iesv
Presbyteri. Orationes Dvodeviginti**

Perpiña, Pedro Juan

Lvgdvni, 1622

Quartadecima, de eadem re dicta Parisiis XVI. Kalend. Iunij, 1566.
praesente Praeposito mercatorum & nonnullis Consiliariis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13368

vos abduci patiamini; nec eò vela detis, vade cumque se flatus aliquis erroris ostenderit: sed voluntate stabiles, fide fundati, gratia nostri Liberatoris immobiles, Ephesa in ea, quam animo à prima pueritia imbibistis, & ad hanc ætatem retinuistis, disciplina vsque ad extremum spiritum permanete.

PETRI IOANNIS
PERPINIANI.

*De retinenda veteri religione, & falsa recentium
hæreticorum doctrina reiicienda,
ad Parisienses.*



ENIT alterius orationis dies, Parisienses, quo die pars altera promissi muneris si minus tota, aliqua ex parte certè persoluenda est.

Precor Deum Optim. Max. vòsque omnes ab eo precari velim, vt sine turbis hunc cõuentum omnium lætitia celebrari patiantur, nos enim vt actiones has instituemus ad confirmandos animos bonorum, sic valde cupimus eas ad exitum sine cuiusquam
vel

vel malo, vel iniuria peruenire: quod ut
 consequamur, in eorum, qui audiunt, mo-
 deratione situm est. Nam si tumultus illius,
 qui superioribus diebus exstitit, causam
 quaesieritis, reperietis eum non actione mea,
 sed paucorum ne quid dicam asperius, parum
 modestis vocibus esse commotum, quas an
 probet, aut concedat Caluini disciplina,
 haud equidem scio, Euangelia certe, Apo-
 stolorumque litterae vehementer reprehendunt,
 quae nostram in factis dictisque mo-
 destiam omnibus hominibus notam esse vo-
 lunt, & probatam. Ac nos quidem primo
 breuē epistolā in gymnasio nostro fiximus,
 quā monebamus lectorem, diuinis de rebus
 orationes me crebras habiturū, eorum potissi-
 mum causa, qui linguae Gallicae ignoratio-
 ne nullum è sacris cōcionibus fructū capere
 possunt: hic nemo, credo, tam iniquus erit æ-
 stimator rerū, qui aut consiliū nostrum, aut
 verborum genus reprehendat. Post aliquāto
 breuissima scheda per compita significauimus,
 de veteri religione retinenda verba me
 III. Non. lun. esse facturum, hic index for-
 tasse nonnullorum animos permouit, qui
 me non tam impediunt, quod nostram reli-
 gionem pessimè oderunt, quā adiuuant,
 quod suam nouam esse confitentur. Ego ve-
 rò, Parisienses, non quidquid euenierit ex
 oratio

Philip. 4.

oratione mea, sed quod ex iis quæ à me facta dictæ sunt, euenire debuerit, id vnum mihi arbitrò esse præstandum, quid autem erat vel in illo facto, vel in verbis, quod iure quemquam posset commouere? non legitimum, nõ vsitatũ est, indicare scripto, si quid in tuo gymnasio sit agendum, quod cæteros iuuet audire? nõ omni cõtumelia oratio illa caruit, de veteri religione retinenda? nisi hoc ipsum isti cõtumeliosum putant esse aliquẽ qui homines rectè diuinis de rebus sentientes ad maiorũ suorũ pietatem cõseruandam adhorretur: quod si ita est, nos tamẽ neque clamoribus eorũ, neque minis, neque armis aliquando cedamus, Parisienses. Quãquàm enim edicto regio publicæ quietis causa proposito, sapienter cautum est, nequid fiat, nève dicatur, quod spectet ad multitudinem concitandam, nemo tamen antiquæ veræque religionis amatores ad eam retinendam adhortari prohibetur: hoc suapte natura pulchrum est, hoc publicè ab omnibus vsurpatũ est, hoc iure cõmuni rectũ est, proprio cõcessum: regẽ habemus præclarè, sentientè, erga religionem Catholicam egregiè animatum, à nouitate tota volũtate abhorrentem: qui tametsi regni pacificandi causa multa, quæ nollet, patiatũ & ferat, tamen optat, quam à suis maioribus fidem accepit.

sartam

Partem & rectam conseruari optat quorum adhuc integra mens est, eos incorruptos ad supremum tempus permanere; optat, si qui animo dubio fluctuēt in vtrāque partem, eos oratione, consilio, auctoritate cōfirmari; optat omnes à veritate variis opinionum semitis aberrantes, in viam, si quo modo fieri possit, reduci: numquam ille contra voluntatem suam venisse iudicabit, qui fecerit quod ipse optat animo, permittit edicto. Si populum ad contemnendum regis imperium fuisset conatus impellere, si multitudinem ad cædem, ad rapinas concitasset, si vllam vt iniuriam alicui hominum generi inferretis, à vobis Parisienses, contendissem: ipse me grauisissimi criminis reum, ipse me regie maiestatis contemptorem, ipse me extremo supplicio dignum confiterer. Sin autem illa summa fuit orationis meæ, veterē religionis disciplinam, quam ex omni animo, omni que voluntate sequitur, constanter esse retinendam, dicam libere, Parisienses, non à me regia maiestas, quæ religionis dignitate quadam ex parte continetur, imminuta est, sed conseruata & amplificata: istis, istis, quemadmodum factū suum defendant, prouidendum est, qui communicato consilio, domi nostræ præsentē ornatissimo viro Iacobo Soriano Venetorum Legato,

Legato
contra
prius q
ricum
tem, c
pietati
suum d
impule
rius in
re, piet
demo
pietat
discipli
discipli
ter à
retur
dice
vel p
ue n
omn
tas:
com
in o
à no
ipsi
pot
nir
la f
mu

Legato religionis antiquæ defensionem
contra regis edictum exhibilauerunt, neque
prius quieuerunt, quàm Iacobum Rhode-
ricum Falconium, iuuenem animo præstan-
tem, qui hoc se primùm aduersus Deum
pietati, deinde charitati erga præceptorem
suum debere arbitrabatur, ad arma inuitum
impulerunt. At in nostram religionem aspe-
rius inuectus es: quasi verò possim ostende-
re, pietatem antiquam esse retinendam, quin
demonstrem, quantum in ista falsa specie
pietatis insit & turpitudinis, & mali: at di-
sciplinam impietatis nostram appellasti di-
sciplinam: ridiculum erat expectare, vt ali-
ter à disciplinæ veteris defensore nominā-
retur. Sed vtrum est grauius? impietatem
dicere, an idololatriam? mihi vel hæc paria,
vel posterius nomen atrocius videtur. Euol-
ue nunc omnes Caluini, & aliorum libros,
omnes paginas inuenies hoc verbo refer-
tas: audi ministrorum omnium conciones,
comperies, nullum eos habere frequentius
in ore verbum: & queri audent impietatem
à nobis appellari disciplinam suam, cum
ipsi nostram vocent idololatriam? si ferre non
poterant veritatis vocem, ad audiendū ve-
nire non debuerunt, nos enim non qui sibi-
la serpentis antiqui imitarentur, quæreba-
mus: sed qui prudentiam illam serpentum
colum

colubarum simplicitate iunctam sequerentur, quam hominum magister discipulis quondam suis magnopere commendavit. Verum illi cum disrumperentur, veterem Ecclesie fidem contra nova commenta defendi, ad impediendum orationis nostrae cursum parati, de industria venerunt: vellet in Pont. Max. in scriptores antiquos, in omnes verustae disciplinae patres dicere quod liberet, & quam liberet diu; nos pro veritate, pro religione maiorum, pro Ecclesiae Catholicae dignitate omnino hiscere non audere. Errant pietatis veteris osiores, amatores impietatis novae, errant vehementer, si pastoritia fistula obrui posse putant turbae cantum; falluntur, si sperant, meminisse & mortis metu posse terreri: hanc enim ego non vitam, sed mortem? quam suis pollicitus est Christus, quam expectant omnes boni, cuius fruendae studio interdum efferuntur, illam unam verè esse vitam puto, quare ut opto neminem facere contra Christianae charitatis officium: sic, si quid humanitus accideret, quod in hac vix intelligo mihi non esse timendum, sed si quid accideret tamen, summi benefici loco ducerem, eripi mihi brevem miseramque vitam, aeternam, & immortalibus bonis affluentem reddi. Vos non modò corporibus, verum a-

nimis

nimis etiam adeste, Parisienses, & cuius di-
 sciplinae causas turpitudinis infamiaeque
 plenas oratione superiore didicistis, eius
 nunc partus cognoscite, quæso, diligenter,
 vos ipsi etiam si ego nihil dicam facile sta-
 tueris à quo tantam malorum sementem
 factam existimetis. Non enim est Parisien-
 ses, non est dissensionis auctor Deus, sed
 pacis, benevolentiae, coniunctionis, ut Pau-
 lus in omnibus Ecclesiis docebat. Has ille
 virtutes tanti fecit, ut filium suum ^{un-}
 nam per summos ^{ad}optare sibi decreuisset,
 serit, ^{modè} ^{regionibus}, quam animis disper-
 non ^{is}, & opinionum magis, quam locorum in-
 teruallo disiectos, in vnum non tam spa-
 cii terrarum, quam voluntatum conspira-
 tione congregaret. Itaque generis humani
 vindex grauius aliquando de Hierosoly-
 ma questus est, quod suos ad se ciues ag-
 gregari minimè pateretur, iamdudum id se
 operam dare testatus. Contra Saranae, qui
 semper hominibus aduersatur, & quoad po-
 test, etiam Deo, nihil aliud propositum est,
 quod intueatur; & in quo efficiendo sine in-
 termissione elaboret, nisi eorum, qui vna
 sententia & voluntate constricti tenen-
 tur, *repentina dissidia* atque discordia: quo-
 circa *libertatis & salutis nostrae* parens, qui

1. Cor. 8

Ioan. 22.

Matth. 23

ad furorem eius comprimendum erat delapsus in terram, postquam demonstravit Iudæis, nullam sibi pactam esse cum illo societatem, illud adiecit, qui cum ipso non sit, contra ipsum esse, & spargere ac dissipare, qui cui cum ipso non colligat; significans, & Satanam, & eius ministros aduersandi studio dispergere conari, quos ipse magno labore congregarit. Viderunt hoc etiam veteres Poetae, quamuis essent inani superstitione caeci, qui discordias & bella per furias quasdam apud causa nonis tabu. memorantes excitari, non sine Deo videlicet concordiam, memoriae prodiderunt. diabolo, ut est apud Mantuanum Var.

Æncid. 3.

— tristia bella,

Irâsque insidiâsque & crimina noxia cordi,
opinabantur esse. Deum existimabant placare iras, tollere dissidia, conglutinare voluntates, diabolum non externos tantum, & alienos, verum etiam, ut idem ille Poeta, scripsit:

— unanimes armare in praelia fratres,

nec inter peregrinos, & ignotos modò ferere discordias, verum etiam (odius versare domos. & propinquis ad mutuam perniciem arma præbere. Quæ cum ita sint, ut illa quæ pacem Ecclesiæ vel conseruat, vel reconciliat, dispersos colligit, dissidentes in, gra-
tiam

tiam reducit, disciplina cœlestis, atque diuina; sic quæ societate Ecclesiæ dirumpit aut dissuit, collectos dispergit, omnibus sensibus congruentes disiungit, ac distrahit, non aliunde, quàm ab aduersariis potestatibus ortum habuisse ducenda est. Ioannes quidem, quem propter excellentem diuinarum rerum scientiam, *sancti theologon*, appellant Græci, eum filios suos charissimos admoneret, ne omni spiritui crederent, sed tentarent spiritus potius ac periclitarentur, an à Deo profecti essent, ne simulata falsorum Prophetarum specie fallerentur, signum hoc addidit quò facile spiritus verè diuinus à simulato & adumbrato discerneretur: qui eumque confiteatur Iesum Christum in carne venisse, spiritum illum verè esse diuinum; qui Iesum soluat, eumque in carne venisse neget, illum spiritum, licet diuinus videatur esse, non à Deo tamen afflatum fuisse, verum esse Antichristum; quo verbo significare voluit, diaboli spiritum illum esse, cum Paulus Antichristum affirmet secundum operationem Satanæ esse venturum, ab eoque vim & potestatem accepturum, res magnas nouas, & admirabiles patranda tendite quæso, sensus, mentesque vestras, Parisienses, & quæ sit huiusce signi vis considerare, Arius, Eunomis, Macedonius, Donatus,

Ioan. 4.

2. Thess. 2.

aliique multi veteres hæretici nonne Christum in carne venisse fatebatur? eos autem qui spiritu diuino excitatos fuisse dicat, ac non potius malorum dæmonum furiis excitatos amens sit, quid ergo est quod scriptum fecit Apostolus, quicumque fateatur Iesum Christum in carne venisse, hunc diuino numine afflari? nimirum illi consententur, vt B. Augustinus explicat, qui & Dei filium verè hominem esse factum, verbis dicunt: & causam quæ illum ad suscipiendam nostram naturam impulit, hoc est charitatem, factis retinent & omni vita. Illi contra Iesum soluunt eumque in carne venisse inficiantur, qui vel alterutram ei naturam impia oratione adimunt, vel eum in carne venisse ore quidem loquuntur, dum charitatem tamen, quæ ei fuit veniendi causa, non seruant; dum Ecclesiæ membra dissoluunt, quæ cœlestis amoris vinculis ille adstrinxerat, factis atque vita negant. Conuertite mihi nunc animos in omnes partes, & quoniam oculis non potestis, mente & cogitatione circumspicite omnes terrarum oras quæ fuit ante Lutherum omnium Christianorum de religione conspiratio atque concordia? quæ vbiunque locorum similitudo, & conuenientia mysteriorum? quam admirabilis omnium penè Gentium, quæ Christum colunt,

lunt studiorum voluntatum, sententiarum
 & quàm inimico nostro metuenda consen-
 sio? magnæ nobilisque partes vetustioribus
 dissidiis fuerant ab Ecclesiæ corpore abru-
 ptæ: quæ verò in societate remanserant, etsi
 nonnullis fortasse de rebus humano more
 dissidebant, de summa tamen religionis mi-
 ro consensu, omnes inter se deuinctæ tene-
 bantur: non aliud Germanus, aliud Hispa-
 nus de libertate voluntatis humanæ sen-
 tiebat, non secus Polonus atque Gallus de
 mysterio corporis, & sanguinis Christi lo-
 quebatur: vna erat Hungari & Itali, vna
 Angli & Siculi, vna Scoti & Sardi de origi-
 nis peccato, de baptismo, de iustitiâ no-
 stræ ratione sententia; eadem orationum de
 singulis religionis nostræ partibus & mens,
 & oratio. At verò nunc quanta est inter nos
 & eos, qui à nobis desceuerunt, dissimilitu-
 do? vix vt ab eodem vtrique genere videamur
 orti, mitto nos, inter illos ipsos, qui ab
 Ecclesia defecerunt, quanta doctrinarum sunt
 facta diuortia? quàm miseranda dissidia?
 potest quidquàm fieri tam diuersum, quàm
 Lutheranus, Anabaptista, Sacramentarius,
 Suenckfeldianus, Seruerianus? potest ali-
 quid magis dispar cogitari, quàm Oslander
 Philippo? potest inimicius quidpiam, fingi,
 quàm Flaccus Illyricus vtrique? potest re-

periri quid magis aduersum, quàm Gentilis, & Ludouicus Alemannus Caluino? nulum vmquam inueniet exitum oratio mea, Parisienses, si omnia genera enumerare uolero & à nobis, ut inter se dissidèrium hæreticorum, de iustitia nostra solùm amplius XX. Lutheranorum sententiæ numerantur inter se valdè disiunctæ: quot oppida sunt, totidem ferè dissimiles, & contrariæ fidei cõfessiones proferuntur, si quando nostri doctores leuioribus de rebus non sentiunt, neque scribunt eodem modo, præcipuis tamen, ac necessariis de locis non discrepant; neque suam quisque disciplinam instituit, omnesque gentes ad se allicere conatur, verùm eandem omnes Christianam videlicet disciplinã, licet variis, probabilibus tamen & in vnum exitum spectantibus dubiis de rebus disputationibus illustrant: at isti apud se quisque Ecclesiam esse aiunt, apud alios negant, eorùmque cõsuetudine, & conuictu prohibent suos. O magnum & intolerandum dolorem, Parisienses! ô casum acerbum atque luctuosum! ô miseram Ecclesiæ Christianæ conditionem! tot membra, tam pulchra specie tam firma viribus, tam necessaria utilitate, ab eo corpore, quod fidei, spei charitatisque neruis Deus ipse colligat, fuisse diuulsa? quæ tot

ex

ex gentibus naturâ diuersis, diuino dono
 cōspirātibus iuncta, velut acies ad pugnam
 instructa suis hostibus formidabilis ince-
 debat, eam paucorum fraude laceratam,
 fusam, dissipatam gentibus expertibus veri-
 tatis esse ludibrio? Solemus dolere vehe- Cantic. 8
 mentiūs, nonnumquam etiam lugere, vbi
 nobis venit in mētem quā crudeliter san-
 ctissimū Christi corpus à Iudæis fuerit di-
 laniatum: quātō nobis acerbio rem dolorem
 atque luctum deberet illud commouere,
 distrahi ac discerpi temeritate quorundam
 Ecclesiam, cuius constituendæ causā Dei
 filius verus Deus, cruciatus illos tam horri-
 biles voluit sustinere? ille quidē neque cū
 iniuriosus tractaretur, neque cū verberibus
 concideretur, neque cū immanissimo
 supplicij genere mactaretur, vllum pro se
 verbum fecit: vbi verō Paulum ad Ecclesiam Act. 9.
 nascentem incredibili audaciā furētem ad-
 spexit, subitā luce percussus abiicit humi,
 formidabilique voce castigatum à cæde re-
 uocauit, nos autem, qui carnificum illo-
 rum ne nomen quidem sustinemus audi-
 re hos in deliciis habemus, qui sceleratas
 Ecclesiæ manus attulerunt? & cū interfe-
 ctōres Christi, malorum dæmonum instin-
 ctu fecisse fateamur, quæ fecerunt carni-
 fices Ecclesiæ ad cædendas & disiciendas

mystici corporis reliquias, diuinitus esse cre-
 dimus impulsos, & quia neutram Christo
 verbis detrahunt naturam, licet charitate va-
 cui ipso vitæ genere dissoluant Christum,
 Ecclesiam dissipent, illum in carne venisse
 factis negent, spiritu tamen eos afflatumque
 caelesti dicimus commoueri, atqui non di-
 ceret Aurelius Augustinus? ille, inquam
 Augustinus, quem vnum ex omnibus anti-
 quis auctoribus laudare se simulat Calui-
 nus, istos diuino Spiritu afflari pernegaret.
 Vultis eius à me verba recitari? vultis ip-
 sum ex ore meo quodammodo loquentem
 audire? [*Quisquis non habet charitatem, negat
 Christum in carne venisse: nunc iam interroga
 omnes haereticos, Christus venit in carne? venit,
 hoc credo, hoc profiteor, immò hoc negas: unde ne-
 gos? audis quia hoc dico immò ego conuincio, quia
 negas, dicis voce, negas corde: dicis verbo, negas
 factis, quomodo, inquit, nego factis, quia ideò ve-
 nit in carne Christus, ut moreretur pro nobis,
 ideò mortuus est pro nobis, quia charitatem mul-
 tam docuit, maiorem hac charitatem nemo ha-
 bet quàm ut animam suam ponat pro amicis
 suis.*] Audi, Luthere, audi Caluine, audi
 quicumque per speciem pietatis ab Ecclesia
 Romana defecisti audi non me, sed Augu-
 stinum: (*tu non habes charitatem, quia pro ho-
 nore suo diuidis unitatem*) audi rursus, vide

ne excidat. (*tu non habes charitatem, quia pro honore tuo diuidis unitatem.*) Vos autem, Parisienses, quid vobis loquatur, accipite, ne qua fallaci in flatu diuini simulatione capiamini. (*Ergo hunc intelligite spiritum ex D. o.*) quem Augustine? dic quæ, planissime. (*qui dicit Iesum in carne venisse, qui dicit non linnua, sed factis, qui dicit non sonando, sed amando.*) quid si qui falsò iactabant spiritum afflatumque cœlestem?) *pulsate. tangite vasa fictilia, ne fortè crepuerint, & male resonent, videre si integrè sonant, videte si ibi est charitas*) nūquam vos hic factorum & charitatis quasi sonus faller, Parisienses, tu verò Lutherane, tu Calviniane, tu quisquis recētem istam cuiuscuius modi doctrinam tanquā filiolam complexam tenes, cur diuinum instinctū nobis obiectas? audi quid sequatur apud eundem scriptorem. (*Tollis te ab unitate orbis terrarum, diuidis Ecclesiam per schismata, dilanias corpus Christi, ille venit in carne, ut colligat, tu idē clamās, ut spargas, ille venit colligere, tu venis soluere, distringere vis membra Christi, quomodo non negas Christum in carne venisse, qui dirumpis Ecclesiam, quam ille congregauit?*) periculosa sunt quæ restant, Parisienses, quemadmodum accepturi sunt aduersarij nostri, perhorresco, sed quoniam Augustini verba sunt, non

mea dicam, non, ita me Deus amet, conrumeliam causam, sed veritatis, si quo modo possint agnoscere errorem suum. (*Contra Christum ergo venis. Antichristus es. Intus sis, foris sis, Antichristus es. Sed quando intus es, lates, quando foris manifestaris. Soluis Iesum & negas eum in carne venisse non es ex Deo*)

Mat. 10. Quid igitur est, dicat fortasse aliquis: Non veni pacem mittere, sed gladium? quid est, veni separare hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam, & inimici hominis domestici eius? potuine Christus apertius indicare discordias? negare possumus, earum inimicitiarum quae religionis causa suscipiuntur auctorem illum esse qui se ipse fateatur ad eas excitandas in terram esse delapsus? O praeclaros laborum divinatorum interpretes, in retinendis literis ac syllabis, cum primis sanctos atque diligentes, in praetermittenda voluntate dissolutos! vobis auctoribus nullum novum praeceptum nobis Christus dedit, ut nos inter nos mutuam charitate complectamur: non pacem praeter ceteris rebus & suis discipulis, & per eos Ecclesiae univ ersae commenda vit. non a Patre supremo tempore precatus est, ut & discipulos suos, & omnes, qui per eos essent credituri servaret, ut quemadmodum Pater & Filius eiusdem naturae divinae commu-
nitione

Mat. 13.

4. & 17.

nion^e sunt idem, ita nos & sententiarum, & voluntatum, & mysteriorum coniunctione summam illam societatem & unitatem, quoad eius fieri potest, imitantes, in vnum coiremus, vobis interpretibus inepta est illa tam crebrò à beato Paulo usurpata similitudo; Ecclesiam esse quasi quoddam corpus è diuersissimis quidem, inter se tamen cõsentientibus membris aptum atque conexum; quod & spiritu diuino contineatur, & ita temperetur, vt in tanta varietate, ac dissimilitudine partium incredibilis quidam sit absque vlla discrepantia concentus; omnesque omnium & malis doleant, & lætantur bonis: & frustra idem Apostolus Corinthios per Christum obsecrabat, vt idem loqueretur omnes; vt nullo animorum dissidio distrahi se paterentur; vt eadem essent mente, & eadem sententiâ concordēs: nihil erat cur Ephesios obtestareretur, vt sollicitè seruaarent unitatem spiritus in vinculo pacis. At ego, qui non sum tam acutus expiator, vt ex Christi verbis non disciplinam Christi modò, verùm ipsum etiâ Christum stultitiæ condemnem, illud didici à maioribus nostris, in eoque libenter acquiesco, Dei filium per Apostolos suos, & eorū successores ancipitè diuinæ doctrinæ gladium in omnes propemodùm terras immisisse:

quo

Rom. 12.

1. Cor. 12.

Ephes. 4.

1. Cor. 1.

Ephes. 4.

quo gladio naturalium affectionum vincula cum abscidisset, liberos à parentibus, affines à suis affinibus ita diuisisset, vt cum fidem alij amplecterentur, alij extrà Ecclesiam permanerent, propinqui à propinquis, credentes à fidei expertibus, ad iudicia, ad secures, ad rotas, ad cruces, ad flammam raperentur; id quod & iam olim accidisse Ecclesiasticæ historiæ demonstrant, & etiam nunc vsu venire scimus vbicumque gentibus veritatis ignaris Euāgelium denunciat. Ecclesiam autem hoc necessario sanctissimòque bello constitutam accepi & Christum, & Apostolos voluisse, mira quadam rerum omnium societate contineri, in eam qui gladium immittat, eam qui diuidat & diducat in contrarias præcipuis de rebus opiniones, Antichristum esse. Istuc ipsum, inquit, nos etiam & sentimus, & docemus, verum cum Ecclesia, per Apostolos constituta, fuerit extincta, hominesque sensim redierint ad impietatem & idololatriam, necesse fuit cœlestis doctrinæ gladium denuò dstringi, ac per novos Apostolos vetustissimum pietatis cum impietate libellum renouari. Ad Apostolicæ doctrinæ successionem redit oratio, Parisienses. Quando Ecclesia adspectabilis esse desit? quādo fuit illa successionis legitimæ rela præci-

sa

sa? iam pridem, iam olim esto: verum quādo fuit istud, iam olim? si diem, si mensem, si annū non potes, ætatem certè nota quo primum sæculo Ecclesia cœpit esse nulla? nullam enim Ecclesiam aliquādo fuisse dicunt, qui dicunt aspectabilem illam esse desisse, cū istam quæ sub aspectum non cadat Ecclesiam nemo scriptorum diuinorum agnoscat, qua igitur ætate primum sine schola discipuli, sine matre liberi, sine Ecclesia cœpimus esse Christiani? quid isti docturi sint, nescio: id vnū affirmare possum quod in omnium vestrū animis penitus inhaerere velim, nisi virorū illustrium, qui omnibus sæculis à Christo ad nos vsque floruerunt, monumenta præclara sepeliantur, ætatem nullam posse notari, cuius ætatis diuinarum rerū scriptores nō ita exponunt summa religionis eius, quā nobis patres nostri velut optimā hæreditatem reliquerūt, eandem vt ostendant superioribus temporibus fuisse, aut si tempus isti verè definire possunt, quo primum tempore cœperūt esse quæ nos habemus, cū ante Lutherum hæc sola vigerūt multos annos, deleatur illa ex Euangelio Christi verba: *Ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi: inducantur illa, Tu es Petrus, & super hanc petram, hoc est, super te, quem ad significan-*
dam

dam solidæ fidei firmitatem, cepham, id est,
 Ioan. 1. petram cognomento vocari volui, & edificabo
 Ecclesiam meam, & per ea inferi non prevalebunt
 2. Tim. 2. adversus eam: tollantur illa, Quæ est Ecclesia
 Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.
 1. Tim. 3. Illa denique planè extinguantur, Sed fir-
 mum fundamentum Dei stat: quæ omnia si
 nequeunt aliter esse quàm scripta sunt, quis
 dubitat, nunquam Ecclesiam neque esse de-
 fuisse, neque desituram? quis non videt, eam
 continuata Apostolicæ doctrinæ successio-
 ne, & ad nos usque pervenisse, & ad supre-
 mum tempus esse perventuram? quæ si quan-
 do defuisset, nunquam tamen ab avaritia, su-
 perbia, cupiditate laudis, invidia, ira, odio
 initium eius instaurandæ sumi passus esset
 Deus. Ergo sit hoc constitutum, Parisienses,
 nunquam Ecclesiæ suæ defuisse Christum,
 nunquam illam ad veteris impietatis con-
 fessionem rediisse, neque necessarium fuisse
 bellum, nisi malis moribus indici; no-
 vam recentium magistrorum disciplinam,
 quæ mirificè consentientem antea Eccle-
 siam miserandum in modum laceravit, quæ
 tot, & tam atroces tragædias excitavit, non
 à Deo, qui consensum animorum & quie-
 tem amat, sed ab illo dissensionum auctore,
 inimico pacis, otij, & quietis perturbatore
 esse profectam. Video vos esse scissos, Pari-
 sienses:

sienses : video me horæ breuitate iam vrge-
 ri , cupio vos ad orationes alias audiendas
 integros atque alacres venite. Vnam tan-
 tummodò, eamque non longam , sed valdè
 firmam tamen addam coniecturam, per ve-
 stram vos humanitatem oro, & obtestor, vt
 mihi animos ad eam cognoscendam redin-
 tregretis. Februario superiore non multis
 ante Cincralia diebus. Lugduno mihi Tur-
 nonem vsque Rhodano secundo nauigan-
 dum fuit, aduersarij non pauci eadem nauic-
 ula mecum vehebantur, eorum vnus, quem
 ego ministrum esse de facie suspicabar , le-
 pidus & falsus esse velle cœpit. Cùm autem
 ei iocandi materia deesset, vestimenta mo-
 nachorum , ita vt sit, cogitanti occurrerūt.
~~Quinquit~~, aliquando Romæ quosdam vidi
 monachos, quos ob insigniorem cucullum
 vulgò iam appellat cucullatos, hi habitant
 ad Mineruæ , amictu ~~ca~~leo vtuntur, ne-
 scio quid ad suum illud acroama festiuum
 adiungere velle videbatur, cùm ego, Non te
 pudet, inquam, omnium mortalium menda-
 cissime , tam apertè falsa loqui ? an nemi-
 nem, qui tam impudens mendacium argue-
 re possit, adesse putas ? annos ipse paulò mi-
 nù : quatuor sum Romę commoratus, a pud
 istos monachos non semel fui , atqui nec
 ad Mineruæ domicilium vllum habent, nec
 veste

veste cærulea teguntur quid refert, inquit
 alius, vbinam illi habitent, aut quonam
 colore vestiantur? nihil admodum fortasse,
 inquam ego, verum eius, qui Euāgelium ia-
 clet permagni arbitror interesse, verenc
 loquatur, an secus: an putas, inquit ille,
 quod errauerim in domicilio, & colore cu-
 cullatorū eadem ratione me falli in Euan-
 gelio explicando? fallaris, inquam, nec ne, in
 præsentī non dico; illud duntaxat cōfirmo,
 cuius mendacium tam manifestum ipse de-
 prehenderim, ei me nullius rei fidem in po-
 sterum esse habiturum. At ille studebat ri-
 sum aliis mouere, id agebat, vt cauillando
 molestiā nauigationis omnibus alleuaret.
 Tradunt autem vrbانيتatis præceptore
 narrationem facetam solere maxime fieri,
 siue habeas, verè quod narraſſe possis, modò
 id mendaciunculis p̄fergas, siue fingas. No-
 lo durus, nolō acuerus nimium videri, Pa-
 risiensis. Gaudeo Caluini discipulos quos
 aiebat esse tristi ac recondita natura, tantò
 iam hilariiores esse factos licere vt sibi pu-
 tent risus cōcitandi gratia, quamuis malitia
 non careat iocus, & spectet ad sanctissimos
 Ecclesiæ ritus deludendos, aliquando men-
 tiri, quod certè ne fiat, non minus diligen-
 ter Euangelio cautum est, quàm ne remere
 iuremus. Verum si ostendero, non tantum

Cir. 8. de
 Orat.

in iocis vnum è multis, sed summos etiam
istorum doctores frequenter in tractandis
decretis disciplinae suae, seridò mentiri, infi-
ciari poterunt, omnem illam religionis um-
bram nixam esse mendacio? Conqueruntur,
Pontificum Max. tyrannide (sic enim mode-
stissimi viri Pontificatum maximum appel-
lant, qui nolunt impietatem à nobis reli-
gionem appellari suam) à Pontificibus igitur
Max. conqueruntur, in communionem myste-
riorum populo calicem ademptum, & per
Concilia Constantiense, ac Basiliense primùm
altera symboli parte multitudini interdi-
ctum esse: hic quàm multa insunt men-
dacia? quàm insignia? extat Leonis I. Pont.
Maxim. sermo in quo populum vniuersum
ad Calicem sumendum adhortatur: decre-
tum de multitudine à calice arcenda nul-
lius Pontif. aduersarij proferre possunt: Con-
cilia Constantiense, & Basiliense inuetera-
tam solum consuetudinem ab altera specie
capiendi mysteria diuina, laudauerunt, appro-
barunt, sine Ecclesiae vniuersae auctoritate
immutari vetuerunt, quod idem proximis
annis Concilium Tridentinum fecit: quòd si
illa duo Concilia hoc instituerent, ut altera
tantum symboli pars in distribuendis
mysteriis populo praebetur, tamè Pon-
tificum Max. tyrannidem Calicem ere-

ptam fuisse populo iure negaremus, cum ea tam libera fuisse constet, ut Pontifices Max. coegerint, pontificatu se abdicare, negant fidei nomen ei, quæ in sceleratis reperitur, attribui à scriptoribus diuinis, non recordabantur scilicet, scripsisse Paulum, *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero.* Exciderant ex animo illa Iacobi verba, *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? nunquid non poterit fides saluare reum? non quærit an sit illa vera fides, sed cum pro certo ponat verum esse, quærit an satis valeat ad salutem.* At abutuntur interdum fidei nomine sacri scriptores, ut cum nos hominem mortuum, hominem tamen nominamus: quid, quæso est, corrumpere literas diuinas, si hoc non est, Iacobus fidem sine rectè factis mortuam esse scripsit, ut sine spiritu corpus, quod quidem verissimū esse corpus omnes fatebuntur, tu similitudinem Apostoli transfers à corpore ad hominem, quem post mortem non nisi abutentes nomine, hominem vocamus, multi existimare nos aiunt, homines per sacrificium ex opere operato, ut Theologi loquuntur, reconciliari Deo, etiam sine fide, atqui sacro sanctum sacrificium negamus omnes, ad vitam æternam consequendam cuiquam posse

...lle prodest
...na sic fide
...scripsisse Pau
...non fieri sac
...uoluta,
...Molem dat
...fide non
...veraque
...multis, al
...na ipsius
...in præsen
...ratum al
...sint ei pe
...ta menda
...issima, f
...ne Conf
...schola d
...sanguini
...tum fac
...verax Io
...tam infi
...Philipp
...nunc m
...nem in
...diuinis
...dem r
...viuen
...bet co
...ntate

posse prodesse, qui cum Christo, & Ecclesia non sic fide & charitate copulatus: affirmant scripsisse Paulum, sine sanguinis effusione non fieri sacrificium; omnes Pauli epistolas pervoluta, illud tantummodo de lege per Moysen data scriptum inuenies, *sine sanguinis effusione non fit remissio*. Hæc aut omnia aut pleraque sunt Caluino communia cum multis, alia non pauca sunt omninò propria ipsius non est in animo tamen omnia in præsentia colligere, Parisienses, ut ad exitum aliquando venire possit oratio mea. Sint ei per me cætera omnia libera & soluta mendacia, quamuis maxima & impudentissima, sileatur illud quod scripsit, Augustanæ Confessionis homines nihil à Tigurina schola dissentire de mysterio corporis & sanguinis Christi & Philippum ipsum scutum facere gloriatus est, in quo quâ fuerit verax Ioachimum Vvestphalum, & alios qui tam insignem contumeliam non tulerunt, Philippum ipsum denique attestor, nulla nunc mentio fiat, quod illam fidei diuisionem in viuam & mortuam, asserit literis diuinis aduersari, cùm in epistola Iacobi fidem mortuam legamus necesse ut sit aliam viuentem confiteri, & Paulus non quamlibet commendat fidem, sed eam quæ per charitatem operatur; ut cogamur aliam intel-

Heb. 9.

In summa
confes. de
Saram.In vltima
admonitio
ne ad Ioa-
chimum
Vvestpha-
lum cap. 2.
Galat. 5.

ligere sine charitate cessantem quam Iacobus mortuam nūcupavit, quod fidem à nostris opinionem quandam, aut persuasionem existimari significat, prætereatur cum fidem omnes opinione quidem longè superiorem esse dicant, scientia verò tum evidentia inferioriorem propterea quòd videmus nunc per sæculum in enigmate, tum firmitate multò præstantiorem, quia diuina veritate fundatur. Vnum hoc commemorabo, hisce diebus Eucharistiæ sacris per quàm accommodatum, quod mihi tam apertum videtur, nemo, vt inficiari possit, tam magnum me ipsum, vt puduerit videre. Postquam Eucharistiæ cultum supersticiosum esse copiosè sibi demonstrasse visus est, huic malo, inquit procul dubio voluit obuiare Nicæna Synodus, cum vetuit nos intentos esse ad proposita symbola, vbi Caluine Synodus Nicæna vetuit Eucharistiam humiliter ac demissè colere: cur non omnia sanctissimorum Patrum verba proferas, cur argumētum tam firmum penè tacitus præteristi. Vos antiquissimi & sanctissimi Concilii orationem integram audite, Parisienses, quæ *ek ton diatiposeon Ecclesiasticorum*, hoc est, ex Ecclesiasticis institutis, ac decretis, quæ extant inter actorum eius Concilii fragmenta, primus Franciscus Turtianus,

ib. 4. in 1.
c. 37. ar. 36.

vir sanè diligens & doctus, protulit in lucem. Mirabimini, certò scio virum illum, qui nihil nisi Spiritum sanctum loqueretur, tam impudenter voluisse mentiri, ἐπὶ τῆς θείας τροπέζης μὴ τῷ ἀεχόμενῳ ἄρτῳ καὶ τῷ ποτηρίῳ ταπεινῶς ἀεχόμεν, ἀλλ' ὑψώσαντες ἡμῶν τὴν δόξαν τῆ πίσει νόστομε κείσθαι ἐπὶ τῆς ἱερᾶς ἐκείνης τροπέζης τὸ ἄμων ἔθες τὸν αἶρον τατὴν ἀμαρτίαν τῷ κόσμῳ, αὐθὺς ὑπὸ τῶν ἱερῶν θυόμενον, καὶ τὸ πικρὸν αὐτῷ σαματικῆς ἀγίας ἀληθῆς καυθάνονίας ἡμῶς πιστεύει ταύτα εἶναι τὰ τῆς ἡμετέρας σ. Ἱερίας καὶ ἐν υσάρεως σύμβολα. habetis Græca verba, ne quis in alterius fraude coarguenda me putet fraudulentum esse voluisse accipite Latina, ut omnes intelligat. In diuina mensa ne simul in propositum panem & calicem intenti, sed cogitationem nostrā erigentes, fide intelligamus, in illa sacra membra positi esse agnum illum Dei, qui tollit peccata mundi, sine mactatione à sacerdotibus mactatum, ac pretiosa ipsius corpus & sanguinem verè sumentes illa credamus esse symbola salutis & resurrectionis nostræ. vetat in pane & calice, quæ videntur, defixam nos habere cogitationem, vetat credere nihil esse nisi panem atque vinum, fide iubet comprehendere, quod aciem oculorum fugit, mactari Christum à sacerdotibus affirmat, sed ita, ne ei denuò nex afferatur, vbinam illud Caluine latet, quod

tam grauibus tu verbis colligebas, Eucharistiam non esse venerandam? non tu verba synodini non intelligebas, quem nihil omnino latere potuisse opinantur tui? sed cum veritatem ferre nequies, tenebras cis fraudibus mendaciisque tuis offundere volebas, iam tandem mirari desino, esse tot inter vos, rarasque pugnas, vix vt duo reperiantur qui sentiant idem nunc intelligo quid sit, quam obrem sententias quotidie tanquam testamenta muteris, nimirum veritas vna est & simplex, vt sapienter à Gregorio Nazianzeno dictum est, multiplex autem variumque mendacium; vera dicendi vna tantum ratio est falsa dicendi sibi quisque multas atque dissimiles, idemque alias alio tempore rationes excogitare potest. Et sunt qui turpissimis mendaciis fundatam disciplinam diuinam dicere audeant? sunt qui tam male de Deo sentiant, illum vt credant aut fallere voluisse, aut potuisse falli: ille & ingenio & doctrina facile princeps superstitione cæcus Plato, ipsum quidem mendacium, hoc est, ignorantem in eius animo, qui falso quid opinetur; insidentem, omnibus & diis & hominibus odio esse censet mendacium autem in verbis, quod illius quasi imitatione expressum simulacrum est, utilitatis causa nonnunquam

nunquam ab hominibus, sed cum emolu-
menti nihil Deo mendacio possit accedere,
nolle unquam eum aut verbo, aut facto men-
tiri, prorsus *ἀνσευδής*, id est, mendacii expers
esse numen diuinum, animo simplex & ve-
rax tum verbis, tum factis, neque ipsam mu-
tari, neque alios fallere, neque visis obiectis,
neque verbis, neque in somnis, neque vigi-
lantes; hæc ille de natura diuina magnificè,
vt mihi videtur, atque præclarè nos autem,
monstrum immane, totum ex fraudibus
mendacisque conflatum, atque concretum,
ex Deo natum esse affirmare non pudebit?
vnde igitur istam dicemus ortam esse disci-
plinam? vnde Parisienses, nisi ab illo, qui pa-
rentem generis humani mendacio impulit
in fraudem? vnde nisi ab illo, qui in veritate
non stetit? in quo veritas non est, qui cum
mentitur tum loquitur de suo, qui mendax
est, vt cœlestis magister dixit, & mendacij
pater, ostent isti magnifica magis oratio-
ne: quam vera diuinos instinctus. Sancti
spiritus reconditam abstrusamque discipli-
nam specie quadam simulationis ostentēt.
nihil in ore habeant. nisi verbum Dei, ego
nunquam adducar vt credam, Deum men-
tiendi impudētia delectari. Sicutio me fuisse
longiorem quam volebam, plura non di-
cam, foetus alios istius religionis egregiè

sequentibus diebus cognoscetis, nunc quæ
 sunt à me tractata, ea penitus animis ve-
 stris mentibusque mandate, maneat hoc fi-
 xum in pectoribus omnium; hæreat in me-
 dullis atque in visceribus vestris, quæ tam
 multas, & tam graues, & tam calamitosas in
 Ecclesia idem antea credente dissensiones
 de summa religionis nostræ commouerit,
 quæ non solum aliquando ludens mentia-
 tur, sed ipsa manifestis etiam, impudentibus-
 que mendaciis fulciatur, eam non a Deo
 turbarum, & fraudis inimicissimo, sed ab
 improbo dæmone satore, & altore discor-
 diarum, principe, & parente mendacii, ac
 fraudis, exstitisse doctrinam. Quò etiam di-
 ligentius cauendum vobis est, Parisienses, ne
 aduersarii nostri capti dolis in ea mala in-
 cédatis, quibus mederi postea non possitis,
 aut multò difficillimè possitis. Si quis vobis
 capitalis hostis, vestri sanguinis exsorben-
 di cupidus multisque rebus iam antè cog-
 nitus, munus ornatissimum sua sponte mitte-
 ret, quidquid illud esset, quod offeret, non
 quo maioris pretij, pulchriusque videretur,
 eò suspectum magis haberetis? non eò ve-
 hementius latentem fraudem pertimesce-
 retis? non venenis imbutum id esse adspe-
 ctu ipso vos è medio sublatum iri existima-
 retis? non auferri subitò, & ab oculis vestris
 aliquo

aliquò ad sportari iuberetis? ita cum aliquem ex isto numero suauissimè & eruditissimè loquentem audietis cum liber vobis admirabili artificio compositus offerretur, siue Pontifex maximus, & Ecclesiasticus ordo vniuersus facetissimè ridebitur siue obscuriores librorum sacrorum loci acutissimè explicabuntur, siue difficiliora religionis Christianæ capita subtiliter disceptabuntur mœnera esse cogitate ab illo inimico adornata qui nihil magis optat, quàm æterni supplicij socios nos omnes habere quanto mirabilior videbuntur esse quæ dicentur, aut legentur, tantò celerius reiicite aut si locus, tempus, & alia reiici non patientur. tanto studiosius curate, ne in animum intrent, quæ vel auribus accepistis. Vlam illam vt fecistis adhuc conseruate disciplinam, Parisenses, quam optimus parens per filium suum vnicum tradidit generi humano: quam Apostoli posteritati prodiderunt: quam tot hæreses & veruitæ, & recentes nunquam labefactare potuerunt, quam Ecclesia Romana sequitur, cum fides Christi promissione firmata neque defecit vnquam neque deficiet quam integram & incorruptam maiores nostri religiosissimi mortales nobis posteris suis reliquerunt: quam nulla vnquam vel delebit, vel obscurauit veruitas, vt ad-

ueniens Iesus Christus, generis humani doctor, nos discipulos agnoscat suos, & omnibus illis immortalibus diuinisque bonis que pro rectè factis promisit suis cumulos & ornatos regno secum frui iubeat & beato & æterno.

PETRI IOANNIS
PERPINIANI.

*De retinenda veteri religione & falsa recentium
hæreticorum doctrina reiicienda,
ad Parisienses.*

O R A T I O X V.



Silentium vestrum inopinatum. & illa modestia singularis, qua me nudius quintus decimus audistis, Parisienses incredibili quâdam & læticia, & spe meum pectus animumque completuit: lætor enim & vos grauitatis vestræ fructum illo die maximum cepisse, & orationem meam sine periculo scopulû offensionis esse præteruectam. Spero autem, quæ difficultates illas benignitate vestra superarit, deinceps eam secunda studii vestri aura posse cursum tenere. Nam cum vix dum egressam è portu recordarer in tam aduersas tempestates incidisse